



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

de diocesana Synodi certū indicimus, summo mane in nostram Metropolitanam Mediolanensem Ecclesiam conueniant: idq; non alij eorum nomine sed ipsimet, nisi legitima causa quam probare debent, impediti sint, præsentent: Inde autem, cum conuenerint, ne cuiquam discedere liceat, nisi impetrata à nobis facultate.

Edicimus præterea, id quod nostro prouinciali concilio secundo decretum est, ut post indictæ huius Synodi promulgationem, in omnibus & urbis & diocesis nostræ Ecclesijs parochialibus, quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad ipsa Synodus absoluta ac dimissa de more erit, in Missæ sacro oratio de Spiritu sancto dicatur; in Metropolitana autem, et Collegiatis processio- num etiam minus singulis Dominicis diebus intus obeatur; ex animoq; preces fiant, quibus à Deo auxilium impetretur pro optimo Synodali tractationum euentu.

Monemus item eos omnes & singulos ecclesiastici ordinis homines, ut nec etiam in itinere quod Synodi causa huc facturi sunt, neque verò hic item, ab ea viuendi frugalitate, sacerdotali modestia atque grauitate, quæ prouinciali concilio priori præcepta est, discedant; sed eum exemplum fidelibus afferant, ut monet Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate; tum nobis à Deo optimo maximo, omni animi pietate, sacrificijs, precibus, ac ieiunijs auxilium implorare studeant. In quarum rerum fidem has litetas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloque nostro muniri, & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum Ecclesiarum, Aediumque Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsis singulis quorum interest, illæ allatæ ac denunciatae essent. Datum ex

Palatio nostro Archiepiscopali die 8.

Martij 1572.

DECRETA EDITA IN Synodo Diocesana tertia Mediolanensi.

Decretum. I.



Quia in ecclesia Sancti alicuius corpus reconditū est; cum eius dies festus agitur, tunc in ea de illo Sancto Missæ sacrum ritum solenni fiat.

Sacrum reliquiarum quo die eorum festus agitur ueneratur.

Locus præterea ubi eius corpus situm est, decenter ornatur; tum campanarum sono, ut Ecclesiæ institutum ac mos est, ea significatio fiat, qua cognosci possit festum diem in illa Ecclesia celebrari: & omnis denique alius adhibeatur Ecclesiasticæ pietatis ritus ad recolendam Sancti illius memoriam.

Decretum. II.

In sua parochiali ecclesia dum Parochus concionatur, ne ulli sacerdoti, ac ne ei quidem qui vnâ cum eodem Parocho in illa ipsa ecclesia curam animarū gerit, Missæ sacrum facere, aut baptismi (si modo mortis periculum non imminet) sacramentum ministrare liceat.

Parochus in sua ecclesia concionante nemo missæ celebretur.

Decretum. III.

Qui sacerdotes in ecclesia collegiata vel cappellas obtinent, vel elemosinæ nomine statis diebus ibidem Missæ sacrum faciunt; qui præterea Clerici eidem ecclesiæ adscripti sunt; ij vnâ cum eiusdem ecclesiæ clero publicas supplicationes obeant, nisi sacerdotes ipsi ab eo sint munere immunes, quoniam alteri ecclesiæ addicti iam sunt.

Beneficia obtinentes in aliqua ecclesia, vel in ea adscripti, ad processionem conueniant.

In omnibus item processionibus (ijs solū exceptis quæ Ambrosianarū litaniarū tempore fiunt) Clerus vniuersus ad libri sacerdotali; vel alterius Archiepiscopi arbitratu deligendi præscriptū, semper aliquid canat cum ea re conuenient, cuius causâ indictæ sunt supplicationes.

Decretum. IIII.

Singulis diebus festis, qui vel Ecclesiæ præcepto vel consuetudine conluntur, in parochiali sua ecclesia Parochus vespere officium canat, datis tamen prius stata hora, ut moris est, campanarum signis.

Vespere officium in parochiali ecclesia festis diebus recitetur, & quinā inter esse debeat.

Quicumque autem sacerdos in illa ipsa ecclesia quotidie, aut ter quaterve per hebdomadam Missæ sacrum facere debet, illum adiuet ad id officium præstādū; nisi a terius ecclesiæ ministerio additus sit, aut ab Archiepiscopo addicatur. Si verò nemo alius tunc adest, quo adiutore ad canendum vtatur; id vesperarū officium non cantu, sed voce alta & clara ita recitetur, vt ab ijs qui præsentibus adsunt, commodè audiri possit. Id prætera officium totum ritè sic dicatur, canaturve; vt psalmus nullus, neque quidquam aliud vlla causa omittatur, quod ad illius officij ritū pro festis eius diei ratione institutum sit.

Decretum. V.

Capellani processionibus sacriss. Sacra in ecclesia inrecesant in qua celebrant.

IDE M etiam Sacerdos, quo tempore in eadem Ecclesia sanctissimum Eucharistiæ sacramentum vel in Altari adorandum proponitur, vel inde in tabernaculo reconditur, vel processionis ritu per ecclesiam circumfertur, modò is alterius ecclesiæ ministerio additus non sit, præsens ibidem adsit, munusq; suum & operam præstet; idq; nisi Archiepiscopi concessu tunc ei alibi ministrare inferuireq; licuerit.

Neque tunc mercedis quidquam aut laboris aut elemosinæ nomine petat, nisi quidpiam ei dari Archiepiscopus iusserit; vel aliquid mercedis eorum officiorum causa tributum sit, vel certus eo nomine census sit ijs Ecclesiasticis viris constitutus, qui ibidem interfuerint.

Quòd si tempore, quo Capellanus sacerdos in parochiali Ecclesia cum illis vt supra dictum est, actionum functionibus interesse deberet, aliò euocatus, funeri exequiisve, aut cultui alicuius diei festi operam suam nauare velit: ob eas causas ab ipsius parochialis Ecclesiæ officijs ei abesse liceat, modò id iam parcho significauerit, vt alios Ecclesiasticos homines opportunè accersere possit, quorum opera ministerio vtatur, ad sacerarum functionum à quibus ipse abfuerit, cultum.

Decretum. VI.

Matutinum octaua corporis Domini qua hora dicendum.

QVIBVS in ecclesijs festo solenni que die Corporis Domini, & reliquis septem deinceps diebus, matutinum offi-

cium quòd de Corpore Christi Domini nostri dicitur, interdiu prioris diocesanæ Synodi decreto recitari aut cani debet; id absoluto completorio statim dicatur canaturve, atq; adeo in tempore inchoetur, vt totum absoluator ante solis occasum.

Quibus autem in Ecclesijs non matutinum sed completorium solum dicitur; hoc ipsum completorij officium recitetur statim vesperis absolutis.

Decretum. VII.

QVA in Ecclesia diuinorum officiorum ritus more Ambrosiano adhibetur, si in ea aliqua piorum hominum sodalitas instituta est; ne permittat Parochus illius sodalitates homines, etià eos quos disciplinatos vocant, in ea ecclesia alio vti ritu quam Ambrosiano, ad recitandas canonicarum horarum preces & officium.

Sodalitates officij ritu ambrosiano in ecclesijs item ambrosianis dicat.

Decretum. VIII.

FESTO die Beate Mariæ Virginis Purificationi dicato, candelarum; & die Dominico quæ de Palmis dicitur, Oliuarū benedictio in Ecclesia ipsa solum celebretur, neq; vllò alio præterea loco. Vtroq; autem tempore in singulis Ecclesijs vbi solennis illa Candelarū & Oliuarum benedictio facta est, aut in earum ambitu, alibiue processio agatur.

Quo in processionis munere Clerus die festo Purificationis candelas, Dominico autem die palmarum oliuas aut palmas præeundo manibus gestet.

Candelarū & oliuarum benedictio in ecclesia fiat.

Decretum. IX.

CVM grandines, nimbi, turbines, & aliæ temporum procellæ imminet; ad eas tempestates sedandas, vel vt vocat, signandas, ne Sacerdos vasculum in quo sanctissimum Christi Domini corpus asseruatur, adhibeat; sed tabernaculum accensis luminibus patefaciat, vt ea nimborum vi imminente, rogationes & preces à Clero populoq; coram Domino religiose fiant.

Sanctiss. Sacramenti expositio imminente tempestate.

Decretum. X.

NE vllus cuiusvis ordinis clericus proforibus Ecclesiæ stet, neque per vias aut vicos incedat, aliove vegetur, ne item

Superpelliceu quibus in locis non deferendū.

ab